



**De Prima Scribendi Origine Et Vniversa Rei Literariæ
Antiqvitate**

Hugo, Hermann

Antverpiæ, 1617

Cap. XXIX. An literis, notis, numeris arcana aliqua insit vis? Inest vis duplex; altera significandi, altera obligandi; nulla tamen Physica, vt probatum ratione & auctoritate. Quid Ο'νομώντεια? ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71265](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71265)

CAPVT XXIX.

*An literis, notis, & numeris arcana
aliqua insit vis.*

DVPLICEM literis, notis, & numeris inesse vim nemo negare potest; vim nempe significandi, & vim obligandi; quæ vtraque moralis quædam vis est, communi hominum arbitratu atque consensu iis attributa. De hac non ambigimus: de vi quadam physicâ atque arcanâ nobis quæstio est; qualem tribuere literis & notis ij videntur, qui Notariam exercent, quæ ars Magica censetur à quibusdam, apud D. Thomam, & Antonium Del Rio. Illi item qui philacteriis quibusdam & schediasmatis, veluti amuletis, tutos se præstant à vulneribus & globis tormentorum. Ac sanè in Magiâ variæ sunt diuinandi artes per mysteria quædam literarum.

Est *ὄνομαντία* per quam futura exquirunt ex nomine consulentis; illius nempe literis veluti anagrammatismo quodam variè collocatis. Atque ita Philostratus lib. 1 v. narrat Romæ puellam quamdam mortuam, ab Apollonio suscitatum per *σοιχειομάντιαν*, quam Cocles cap. 1. de Sortileg. rectè Literomantiam vocat.

Est & *ἀριθμάντια*, quâ Græci valorem literarum expedientes diuinant de illius victoriâ, cuius nomen maiores habet numeros; quâ item Chaldæi Alphabetum diuidentes in tres decades, singulas literas planetis singulis assignant. Cui affine est illud commentum diuinandi ex literis pagine alicuius in libro quopiam fortuitò aperta; quo

quo vti solitum Hadrianum Imp. Spartianus, & Claudianum Trebel. Pollio scribit; & Socratem sic ferunt intellexisse sibi esse moriendum:

Spectat huc etiam Iudæorum recentiorum Kabbala, & Platonis Arithmeticum vaticinium, reprehensum ab Aristotele lib. v. Polit. Item Pythagoræ somnium dicam an inuentum, quod ei Plinius tribuit; quo docet ex pari vocalium numero in nominibus felicitatem, ex impari infelicitatem portendi & diuinari.

Quid quod eò dementiæ venerit quidam C. Basilius (vt eum Philastrius nominat libro De hæresibus, vel potiùs Marcus & Colarbasus; vt Irenæus De hæres. item lib. i. & Tertullianus De præscript. eos vocant) vt dicerent tantam Alphabeto Græco inesse vim, vt sine istis literis veritas non possit inueniri; imò totam plenitudinem & perfectionem veritatis in istis literis esse dispositam. propter hanc causam enim dixisse Christum, Ego sum Alpha & Omega. quam hæresim confutauit toto ferè libro primo Irenæus.

De vi auerruncatoriâ, multi opinati sunt eam inesse literis ac notis. Ita Conradus Wimpina cap. penultimo & vltimo lib. De superst. scribit vsitatum esse apud Magos genus quoddam characterum peregrinorum, in quibus sunt nouem caldariæ, & nomina Principum quatuor huius mundi cardinum; feruntque eos inuentos à Germone Babylonio, Hermete Ægyptio, & Thore Græco. Fundaturque hic error, inquit Del Rio lib. i. cap. i v. qu. i. in magno illo aphorismo libri impij, qui inscribitur Arbanel in Septennâ i i. vbi traditur, quod Deus quando rebus nomina

nomina imposuit, simul cum nominibus vires & officia quædam illis distribuit; & ita characteres habeant vim non ratione figuræ vel pronuntiationis, sed ratione virtutis seu officij illius, quod Deus ad tale nomen vel characterem ordinavit. Neque ab hac opinione alienus fuit Origenes libro 1. & v. contra Celsum; aliiq; medici, Qu. Serenus, Aëtius, Trallianus, Paracelsus, & Plinius lib. xxv i i i. cap. i i. qui docent notas & scripta quædam verba facere curandis morbis; sicut & Cabbalistræ, qui docet literis ac syllabis quamdam esse cum sideribus cognationem; adeoq; illas habere maiorem vim, quæ rem sanctiorem significant, aut à sanctiore lingua descendunt; quorum auctoritate forsân persuasus Picus docuit in position. Magic. nomina barbarâ & nihil significantia, plus habere efficacitatis. Sanè sic apud Iudæos fuere phylacteria characteribus inscripta, quibus ipsi se præservari putabant. Apud Romanos ros turpiculæ inscriptæ (præfiscini, ut dicebant) suspensæ de collis puerorum: de quibus Gellius. Apud Græcos Ephesiæ literæ, quas Diogenianus scribit fuisse quædam notulas, quibus vtentes, in omni certamine victoriâ potirentur, quarum mentio apud Athenæum lib. xi i. ex Anaxilâ Poëtâ:

In consutis sytariis (id est, minutis coriis) literas Ephesias, ferens.

Quales fortè erant R & A, quas quidam collo appensas gerebant, apud Plinium libro xxv i i i. cap. i i. sub finem. Suidas scribit eas fuisse carmina quadam obscura, quæ & Cræsus in rogo reicitavit; & Olympia, Milesio & Ephesio certantibus, Mi-

M

lesium

legum luctari non potuisse, propterea quod alter iuxta talum Ephesias literas habebat; quibus compertis & demptis, concidisse Ephesum ferunt. quo loco liber meus in margine habebat has notas, AIN. SEGEN. FV. RALLES. VNGLYCK. Cælius lib. xvi. c. xiv. refert hæc verba, *Asci. Catafci. Aex. Damnameneus. Aesion. Tenebra. lumen. Sol. ipse. verum.*

Amatorias autem notas refert D. Hieronymus cap. xvi. in Vita D. Hilarionis: Erat iuuenis emporij Gazensis, qui virginem vehementer deperibat; is Memphim profectus, post annū magicis artibus instructus rediit, & subter limen domus puella, tormenta quadam verborū & portentosas quasdam figuras sculptas in aris Cyprij laminā defodit, & illic amore infaniuit puella. & mox facit D. Hilarionem hæc respondere dæmoni, dicenti se ob vim harumce literarum non posse exire: *Grandis fortitudo tua qui licio & laminā strictus teneris.* Quo loco Rosvveydus noster ex Taciti Annal. libro xi. obseruat huiusmodi notas plumbeis lamellis fuisse nonnumquam incisas, & ab Ammiano lib. xxviii. huiusmodi inuenta vocari *artes prauas.*

Igitur vt ad hæc omnia respondeam; dico generatim, nullam omnino vim physicam arcanam inesse literis vllis aut notis, ad aliquem huiusmodi effectum producendum, vt mecum docent omnes Patres, & scholastici Doctores, D. Thomas, Gerson, &c. Antonius Del Rio, Tyræus, nostri; ipse etiam Vlpianus I. C. Leg. i. D. De extraord. cog. & Hippocrates medicus lib. De Sacro morbo, Galenus lib. vi. & x. Simplic. medicam. Langius, Valesius, Fernelius, Ferrerius, Petrus Gregor. Tolosanus, Scaliger, &c.

Talis

Talis autem est ratiocinatio Antonij Del Rio, lib. 1. Disquis. Magic. cap. iv. qu. 111. quâ sententiam illâ confirmat: Notæ, literæ, verba, nullam habent vim, neque artificialem, neque naturalem, neque supernaturalem ad huiusmodi effectus; igitur, &c. De artificiali nemo dixerit, aut etiam de supernaturali; non enim Deus, aut boni Angeli ad præstigias operam suam locant. Naturalis nulla vis esse potest; quia verba scripta & notæ sunt quid mortuum, & expers omnis energiæ, nisi fortè à chartâ aut atramento vim hauriant, &c. Igitur notæ, literæ, verba, nihil faciunt ad morborum auerruncationem, amoris excitationem, vulnerum defensionem, &c. Atque ob huiusmodi rationes damnantur hæcce *magica* characteribus magicis insignita à diuo Basilio homiliâ in Psalm. xl v. & meritò phylacteria hæc vocantur ab Isidoro *Ligatura execrabilium remediorum*. imò irrita fuere olim ab ipso Luciano in Dialogo De moribus Philosophorum: adeoque Antoninus Caracalla, auctore Spartiano, grauissimis suppliciis eorum superstitionem compescere decreuit.

Quamquam *de artha* seu amuleta illa quæ Catholica Ecclesiæ consensione probantur, notis aut literis insignita, vim suam habent, non naturalem illam ex numero figurarum, aut lineis ipsis, aut re quapiam simili; sed supernaturalem ex ope diuinâ. Talia autem sunt Euangelium D. Ioannis, Davidis Psalmi, sententia aliqua sacre Scripture, Agni cerei inscripti: quorum effectus supernaturales sunt, Deoque assignandi, si quando eueniunt. Quicumque autem effectus producitur

vsu aliarum chartularum, dæmonis paciscentis artificio existit. ira patuit in virgine illâ Gazensi, quæ non vi philtri, sed machinatione dæmonis, philtro tantum pro signo vtentis, ἐρωτοληψία correpta est; neque aliter de aliis omnibus existimandum est. Quod verò attinet ad diuinationem, quæ ex nominum literis aut notis numerorum capi solet; ea quia nullo Dei aut Scripturæ sanctæ promisso nititur, quia semper incerta, quia plerumque fallax, quia semper dæmoni locum aliquem tribuere videtur, anathematis pœnâ prohibita est, cap. Sortes. xxvi. qu. v.

Alioqui licet subinde exquirere rerum nomina notis inuoluta: verbi gratiâ, Antichristi nomen quod Apostolus in Apocalypsi his siglis numerorum texit, DCLXVI. quodq; nonnulli se fuisse assecutos putarunt, texendo nomen ex literis eisdem simul numeros continentibus, quale est, DICLVX. quod legere me memini in glossario quodam manuscripto Heriberti nostri Rosveydi. Et multa sanè de illo nomine curiosè scribunt Ribera noster in Apocalypsi. Pater Alcaçar, Sanderus de Antichristo, Feuarent. & Raimundus item de Antichristo: nec id malè faciunt. At credere magna quædam mysteria ac vim singulis inesse numeris, vt Pythagoræi & Cabbalistæ tradiderunt, ne insignis insania est, helleboro purganda; de quâ eruditè multa obseruarunt Petr. Gregorius Tolosanus lib. xv. Artis Mirabil. cap. x. Cornelius Agrippa lib. ii. De occultâ philosoph. cap. iiii. & x. Galatiñ. lib. iiii. contra Iudæos cap. ix. Philostratus De Vitâ Apollonij cap. ix. lib. iiii. & Cælius Rhodigin. lib. xxii. cap. vi.

Deni-

Denique non damnauerim erroris eos, qui piâ quadam consuetudinis simplicitate, libri alicuius sacri pagellam aliquam fortuitò arreptam legunt, vel dogmatis vel solatij alicuius capiendi causâ, quod diuo Aurelio Augustino sedenti & de vitæ mutatione cogitanti vñu venit, vt diuinitus sibi dictum arbitraretur quod primâ fronte in Paulinis Epistolis sibi offerebatur. Et multos dicere frequenter audiui solitos se ex libello Thomæ à Kempis sic querere in mœrore consolationem, neque ferè vñquam falli. Sanè Pater Ioannes Dauid è Societate nostrâ vir liberalissimi ingenij & acuti, Veridico suo Christiano extremo rotulam adiecit variis numeris illusam, alteri folio fenestrato suppectam; cuius circumuolutione, noui semper & noui numeri apparèt, nouarum, sed incertarum sententiarum (quibus totus liber refferus est) indices; vt quæ cuique sententia forte ceciderit, eam sibi dictam esse inspiratamque existimet. Sed futura velle conuicere ex versiculis ita fortunâ oblati, vt fecêre Heraclius Imperator apud Cedrenum, Andronicus apud Gregoram lib. viii. damnata superstitio est, cap. Aliquantum, & cap. Si quis Clericos. xxvi. qu. v.

CAPVT XXX.

De vi obligandi quam habent literæ.

INITIO capitis superioris dixi literas moralem quamdam habere vim obligandi. Auctor mihi est Iustinianus lib. i i i. Instit. tit. xiv. De obligationibus: *Obligationum ex contractu, quatuor*

M ; sunt